Universitätsbibliothek Paderborn

Philippi Clvveri[i] Sicilia Antiqva

Clüver, Philipp

Lvgdvni Batavorvm, 1619

Cap. XIII. Tyracia, Tyracinae, Ancylium, opida. Cabala, Cronium, loca. Opida, Arbela, Tabas, Jndara, Crastus, Hippana. Opida incerti situs. Numerus universarum Sicilae urbium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14145

Visual Library

conciliatâ Meſſanenſibus pace, caſtellum etiam reſtituere tyrannum coëgêre: atque tum in Africam redierunt. Agathocles verò ad Abacænum opidum, ſocietatis fœdere ſibi conjunctum, profectus, quosdam illic, qui adverſari ſibi videbantur, jugulavit. Ex his igitur tot ac tam diſertis locis commodum jam atque facile erit mendoſum locum apud Appianum emendare. Verba eius, Civil. bellor. lib. v, ſunt iſta: μύλας δ' ἔτι καὶ τὰ ἐκ μυλῶν ἐπί τε Ναυλόχους καὶ Πελωριάδα τὰ παράλια ἅπαντα φρουραὶ Πομπηίου κατεῖχον. ἐκράτει δὲ καὶ τῶν στενῶν ἑκατέρων ὁ Πομπήιος, ἀμφί τε τὸ Ταυρομένιον καὶ περὶ μύλας, καὶ παρόδους τῶν ὀρῶν ἀπετείχιζε, καὶ τὸν Καίσαρα ἐκ Τυνδαρίδος ἐς τὸ πρόσθεν ἰόντα, ἐνώχλει, μὴ συμπλεκόμενον. Ἀγρίππου δὲ νομισθέντος ἐπιπλεῖν, ἐς Πελωριάδα μετεπήδησεν, ἐκλιπὼν τὰ στενὰ περὶ μύλας· καὶ ὁ Καῖσαρ αὐτά τε κατέσχε καὶ μυλῶν, καὶ Ἀρτεμισίου, πολίχνης βραχυτάτης. ψευδοῦς δὲ τῆς Ἀγρίππου δόξης φανείσης, ὁ Πομπήιος ἤχθετο τῶν στενῶν ἀφῃρημένος, τὸν Τισιηνὸν ἐκάλει μετὰ τοῦ στρατοῦ. Τισιηνῷ δ' ὁ Καῖσαρ ὑπήντα, καὶ διημάρτανε τῆς ὁδοῦ περὶ ὄρος τὸ μυκόνιον, ἔνθα ἄσκηνος ἐνυκτέρευσεν. * . μετὰ δὲ τοῦτο τὴν Παλαιστινῶν γῆν ἔκειρε, καὶ Λέπιδος αὐτῷ συνῄει τὰ σιτολογῶν· καὶ Μεσσήνῃ παρεστρατοπέδευον ἀμφότεροι. Hoc eſt: *Mylas adhuc, & omnem hinc ad Naulochos Peloriademque oram maritimam Pompeii tenebant præſidia. fauceis quoque utrasq., tùm Tauromenitanas tùm Mylenſeis, Pompeius occupaverat: & montanos calleis muris interſepiit. & Cæſarem à Tyndaride procedentem infeſtabat, abſtinentem prælio. Quum verò Agrippam adpulſurum crederet, ad Peloriadem transcurrit; deſertis faucibus Mylênſibus. quas mox Cæſar occupavit, unà cum ipſis Mylis & Fano Dianæ, exiguo opido. Sed ubi opinio de Agrippæ adventu evanuit: Pompeius, cognito, amiſſas eſſe fauceis, Tiſienum accivit cum exercitu. Ei Cæſar obviam progreſſus, aberravit à viâ circa montem Myconium: ubi ſine tentorio pernoctavit. Poſt hæc Palæſtenorum agrum vaſtavit: & Lepidus factus ei eſt obviam, frumenta colligens. moxque ambo Meſſanam obſederunt.* Pompeii exercitum, quem Tiſienus ad Pelorum versùs & Naulochum ducere debebat, Meſſanæ, Lepidum verò ad Tauromenium fuiſſe, ex præcedenti ibidem narratione liquidò patet. MYCONIVS igitur iſte MONS vertex quidam fuit in jugis Pelori ſeu Neptunii montis, inter Meſſanam, Pelorum, & Naulochum, à ſiniſtrâ parte faucium Mylenſium ſeu viæ qua Mylis itur Meſſanam. namque exercitu à Meſſanâ adducto, caſtra Pompeius ad Naulochum oppoſuit caſtris Cæſaris; qui apud Dianæ Facelinæ templum erat; ut ſuprà, huius lib. II, cap. v docui. Cæterùm mendoſos iſtos Παλαιστινοὺς, qui nulli umquam fuêre in Siciliâ, corrigendos eſſe in Ἀβακαινίνους, ipſum hiſtoriæ ſimul & chorographiæ filum disertè indicat.

MYCONIVS *mons.*

CAP. XIII.

Tiracia, Tyracinæ, Ancylium, opida. Cabala, Cronium, loca. Opida, Arbela, Tabas, Indara, Craſtus, Hippana. Opida incerti ſitus. Numerus univerſarum inſulæ urbium.

HActenus igitur totius inſulæ Siciliæ antiquitates, quæ ex veterum monumentis in lucem erui potuerunt, ſummâ, quantum in nobis fuit, curâ ac diligentiâ expoſuimus. Reliquum eſt, uti ad finem huius commentationis eorum quoque locorum, quibus nulli certi ſitus diſpici poſſunt, memoria producatur.

Marciano Heracleenſi atque Straboni memorantur *urbes* Καλλίπολις, CALLIPOLIS, & Εὔβοια, EVBOEA: quarum huius Herodotus, illius Silius ac Stephanus, quoque meminerunt. Marciani hæc ſunt:

Μετὰ ταῦτα δ' ἀπὸ Νάξου Λεοντῖνοί τε καὶ
Ἡ τὴν θέσιν τ' ἔχουσα Ῥηγίου πέραν
Ἐπὶ τοῦ δὲ πορθμοῦ κειμένη Σικελικοῦ,
Ζάγκλη, Κατάνη, Καλλίπολις, ἔσχον ἀποικίας.
Πάλιν δ' ἀπὸ τούτων δύο πόλεις, Εὔβοια
Καὶ μύλαι κατῳκίσθησαν ἐπικαλούμεναι.

Id eſt: *Poſt hæc à Naxo Leontini, &,*
Quæ ex adverſo Rhegii
Ad fretum Siculum ſita eſt,
Zancle, item Catana, & Callipolis, accepêre colonias.
Rurſus verò ab his duæ urbes, Eubœa
Et Mylæ dictæ, conditæ fuerunt.

Hinc Strabo, lib. VI, enarratis præcipuis, quæ tum exſtabant, Siciliæ urbibus; Ἡ δ' ἄλλη, inquit, κατοικία, καὶ τῆς μεσογαίας ποιμένων ἡ πλείστη γεγένηται. οὐ γὰρ Ἱμέραν ἔτι συνοικουμένην ἴσμεν, οὔτε Γέλαν, οὔτε Καλλίπολιν, οὔτε Σελινοῦντα, οὔτ' Εὔβοιαν, οὔτ' ἄλλας πλείους. ὧν τὴν Ἱμέραν μὲν οἱ ἐν Μυλαῖς ἔκτισαν Ζαγκλαῖοι, Καλλίπολιν δὲ Νάξιοι, Σελινοῦντα δὲ οἱ αὐτόθι Μεγαρεῖς, Εὔβοιαν δὲ οἱ Λεοντῖνοι. Id eſt: *Reliqua opida & quæ in mediterraneo olim fuère, paſtorum nunc domicilia pleraque facta ſunt. non enim hodiè comperimus à civibus incoli Himeram, non Gelam, non Callipolin, non Selinûntem, non Eubœam, non alias plureis. de quibus Himeram condiderant Zanclæi, Mylas habitantes: Callipolin Naxii; Selinûntem Megarenſes Sicilienſes; Eubœam Leontini.* Stephani epitomatori: Καλλίπολις, πόλις Σικελίας. οἱ πολῖται Καλλιπολῖται. Id eſt: *Callipolis, urbs Siciliæ. Opidani inde Callipolitæ.* Sed Latinè CALLIPOLITANI; ut *Neapolitani*; & id genus alii. Fuiſſe in orientali inſulæ latere, patet ex Herodoti lib. VII; ubi ita ſcriptum eſt: Πολιορκέοντος Ἱπποκράτεος Καλλιπολίτας τε καὶ Ναξίους, καὶ Ζαγκλαίους τε καὶ Λεοντίνους, καὶ πρὸς Συρηκουσίους τε καὶ τῶν βαρβάρων συχνούς, ἀνὴρ ἐφαίνετο ἐν τούτοισι τοῖσι πολεμίοισι ἐὼν ὁ Γέλων λαμπρότατος. Id eſt: *In quibus bellis Hippocrates obſedit Callipolitanos, & Naxios, Zanclæosq; & Leontinos, pugnavitq; cum Syracuſanis & permultis Barbarorum, in iis bellis Gelo exſtitit vir præſtantiſſimus.* Gelæ tyrannus erat Hippocrates. cui per fraudem poſteà ſucceſſit iſte Gelo. qui mox Syracuſarum etiam urbe in poteſtatem redactâ, Camarinenſeis & Megarenſeis in eam tranſtulit: teſte ibidem Herodoto; qui poſt hæc ita pergit: Ταὐτὸ δὲ τοῦτο καὶ Εὐβοέας τοὺς ἐν Σικελίῃ ἐποίησε. Id eſt: *Idem hoc & Eubœenſibus, qui ſunt in Siciliâ, fecit.* Medio ferè itinere inter Gelæ & Anapi amnium fonteis, apud exortum fluminis, qui vulgò nunc vocatur *Drillo*, opidum eſt vulgari vocabulo *Licodia.* de quo ita Fazellus, decad. I, lib. X: *In rupe editâ ac præruptâ Lycodia Saracenici nominis opidum eſt. ubi miræ vetuſtatis, licèt proſtratæ ac ſepultæ magnâ ex parte, ſunt ruinæ, veſtigia procul dubio jacentis priſcæ urbis; quam & ego incognitam pertranſeo.* Hæc urbs fortè fuit antiqua illa *Eubœa*, colonia Leontinorum. neque enim ſitus, haud procul Teriæ, Leontinorum amnis, fonte, abhorret. Idem Fazellus, decad. I, lib. III, cap. I, ita ſcribit de antiquâ urbe Aetnâ: *Ea hodiè neque veſtigiis agnoſcitur, neque quo loco ſteterit: niſi, quòd ad Maſcalim, ubi urbis veteris jacentis plura circùm arcem cernuntur hodiè monumenta, plerique, ſolâ opinione ac conjecturâ ducti, fuiſſe eam referunt.* Aetnam fuiſſe inter Catanam & Centuripas, quo loco nunc eſt cœnobium S. Nicolai de Arenis, ſuprà lib. I, cap. VIII, oſtenſum eſt. libro verò II, cap. VI, *Bidium,* Taurominitani agri caſtellum, fortè eſſe *Maſcalim,* conjeci. at quia nulla eius rei certa diſpici poſſunt documenta; *Callipolim* heic olim fuiſſe, non negaverim. & bello Punico ſecundo ea adhuc exſtitit; ſi Silio poëtæ credimus. ſic quidpe ille lib. XIIII canit:

Romanos Petræa duces, Romana petivit
Fœdera Callipolis, lapidoſique Engyon artus;
Hadranum Hergentumq; ſimul.

TIRACIA *urbs.* Cæterùm apud Diodorum lib. XII Siculorum *urbs* memoratur nomine Τρινακία, *Trinacia*: ut vulgata habent exemplaria. Nomen id quum quondam fuerit univerſæ inſulæ; ut lib. I cap. II oſtenſum; meritò quis ſuſpicetur, corruptum in id fuiſſe poſtmodùm urbis vocabulum, quod fortè fuerit Τιρακία, TIRACIA: unde *opidani* apud Plinium lib. III, cap. VIII leguntur TIRACIENSES; qui Diodoro ſunt Τρινάκιοι, *Trinacii*; pro, Τιράκιοι, *Tiracii.* Verba Diodori hæc ſunt: Ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνησι Μυριχίδου Συρακούσιοι, πάσας τὰς τῶν Σικελῶν πόλεις ὑπηκόους ποιησάμενοι, πλὴν τῆς ὀνομαζομένης Τρινακίης, ἔγνωσαν ἐπὶ ταύτην στρατεύειν. σφόδρα γὰρ ὑπώπτευον τοὺς Τρινακίους ἀντιλήψεσθαι τῆς τῶν ὁμοεθνῶν Σικελῶν ἡγεμονίας. Ἡ δὲ πόλις αὕτη πολλοὺς καὶ μεγάλους ἄνδρας εἶχεν, ἀεὶ τὸ πρωτεῖον ἐσχηκυῖα τῶν Σικελικῶν πόλεων. ἦν γὰρ ἡγεμόνων ἡ πόλις αὕτη πλήρης, μέγα φρονούντων ἐπ' ἀνδρείᾳ. διὸ καὶ πάσας τὰς δυνάμεις ἀθροίσαντες ἔκ τε τῶν Συρακουσῶν καὶ τῶν συμμάχων πόλεων, ἐστράτευσαν ἐπ' αὐτήν. οἱ δὲ Τρινάκιοι συμμάχων μὲν ἦσαν ἔρημοι, διὰ δὲ τὰς ἄλλας πόλεις, αἳ ὑπήκουον Συρακουσίοις, μέγαν ἀγῶνα συνεστήσαντο. ἐκθύμως γὰρ ἐγκαρτεροῦντες τοῖς δεινοῖς, καὶ πολλοὺς ἀνελόντες, ἡρωϊκῶς μαχόμενοι πάντες κατέστρεψαν τὸν βίον. ὁμοίως δὲ καὶ τῶν πρεσβυτέρων οἱ πλείους ἐκ τοῦ ζῆν μετέστησαν, οὐχ ὑπομείναντες τὰς ἐκ τῆς ἁλώσεως ὕβρεις. οἱ δὲ Συρακούσιοι τοὺς πρότερον ἀηττήτους γεγονότας νικήσαντες ἐπιφανῶς, τὴν μὲν πόλιν ἐξανδραποδισάμενοι κατέσκαψαν, τῶν δὲ λαφύρων τὰ κράτιστα ἀπέστειλαν εἰς Δελφούς, χαριστήρια τῷ θεῷ. Hoc eſt: *Summum Athenis magiſtratum gerente Myrichide, Syracuſani, poſtquàm cunctas per Siciliam urbeis ſuo imperio ſubdidiſſent, exceptâ unâ Trinaciâ: hanc quoque bello adoriri ſtatuerunt. valde enim opes Trinaciorum ſuſpectas habebant: veriti, ne quando Siculorum, gentis cognatæ, imperium* *ad ſe transferrent. Hæc quidpe urbs multos & magnæ virtutis viros ſemper habuit. eóque principatum inter urbeis Siculas obtinuit. viris enim ad gerenda imperia idoneis, & celſos ob fortitudinem ſpiritus habentibus, plena erat. Itaque cunctas è Syracuſis ac ſociis urbibus copias contrahunt; eosque adversùs Trinacios educunt. At hi externo ſociorum præſidio deſtituti, propter cæteras urbeis, quæ Syracuſanis parebant, ingens certamen commiſerunt; & animosè fortiterque ſeſe periculis objectantes, heroicè dimicando univerſi oppetierunt. maior etiam pars ſeniorum, quòd captivitatis ignominiam ſubire nollent, ultro ſe vitâ abdicarunt. Syracuſani ergo tam illuſtrem de his, qui invicti hactenus fuerant, victoriam adepti, incolis in ſervitutem redactis, urbem ſolo æquarunt. ex manubiis verò pretioſiſſima quæque ad grates deo perſolvendas Delphos transmiſère.* Apud Stephani epitomatorem eſt Siciliæ *opidum* Τυρακῖναι, TYRACINAE. id an idem ſit cum iſto Diodori *Trinaciâ*, ac Plinii *Tiraciâ*, haud temerè dixerim. Verba epitomatoris hæc ſunt: Τυρακῖναι, πόλις Σικελίας· μικρὰ μὲν, εὐδαίμων δ' ὅμως. τὸ ἐθνικὸν Τυρακιναῖος, καὶ Τυρακιναία θηλυκόν· Τυρακηνὸν δὲ αὐτὴν Ἀλέξανδρος ἐν Εὐρώπῃ καλεῖ. Hoc eſt: *Tyracinæ, opidum Siciliæ: parvum equidem; at opulentum. Gentilitia inde Tyracinæus, & femininum Tyracinæa. Tyracenum autem id vocat Alexander in Europâ.* At Latinâ formatione, TYRACINENSIS; ut Ἀγυριναῖος, *Agyrinenſis.* Plinius inter ſtipendiarios populi Romani connumerat ſuos *Tiracienſeis.* hi igitur ſi iidem fuêre, quos Diodorus in præſcriptâ hiſtoriâ innuit; certè opidum eorum poſt dictam everſionem inſtauratum fuit.

TYRACINAE *opidum.*

Porrò in Legationum excerptis è Diodori lib. XXXVI iſta leguntur de initio belli ſervilis in Siciliâ: Οἱ δὲ δοῦλοι συστραφέντες, καὶ τῶν Συρακουσῶν ἀπαλλαγέντες, καὶ καταφυγόντες εἰς τὸ τῶν Παλικῶν τέμενος, διελάλουν πρὸς ἀλλήλους ὑπὲρ ἀποστάσεως. ἐκεῖθεν ἐν πολλοῖς τόποις τῆς τῶν οἰκετῶν τόλμης ἐκδήλου γινομένης, πρῶτοι τῆς ἐλευθερίας ἀντεποιήσαντο κατὰ τὴν Ἀγκυλίων χώραν ἀδελφῶν δυεῖν μεγαλοπλούτων οἰκέται τριάκοντα. Id eſt: *Servi igitur, conſpiratione inter ſe factâ, quum poſt emigrationem è Syracuſis ad Palicorum fanum confugiſſent, de rebellione inter ſe conloquebantur. quumque multis in locis hæc ſervorum audacia percrebuiſſet; triginta duorum prædivitum in Ancyliorum agro fratrum ſervi primi libertatem arripuerunt.* Quo inſulæ tractu iſta τῶν Ἀγκυλίων χώρα, *Ancyliorum regio* ſeu *ager* fuerit, non additur in ſequentibus; nec facile conjectu eſt. Apud Stephani epitomatorem hæc leguntur: Ἀγκύρον, πόλις Ἰταλίας. δύναται ὁ πολίτης Ἀγκύριος, ὡς Βυζάντιος· ἢ Ἀγκυριεύς, ὡς Κιτιεύς, Δουλιχιεύς, Σουνιεύς. Id eſt: *Ancyrium, opidum Italiæ. Opidanus inde dici poteſt Ancyrius; ut Byzantius:* [ſcilicet ab urbis nomine, quod erat Βυζάντιον, *Byzantium*:] *vel Ancyrienſis: ut Citienſis, Dulichienſis, Sunienſis.* Ad eumdem fortè modum & iſtius in Siciliâ opidi nomen fuit Ἀγκύλιον, ANCYLIVM: & inde *opidani* Ἀγκύλιοι, ANCYLII. Idque eò magis credo, quòd apud Ciceronem in Verrinâ III opidani leguntur in vulgatis exemplaribus *Incilienſes*; fortè & ipſi, ut complures alii eodem loco, corrupto vocabulo; quum re verâ eſſent ANCYLIENSES; ut *Ancyrienſes* apud Stephani epitomatorem. qui tamen & ipſi quum aliàs in Italiâ planè incogniti ſint, nec ulli alii veterum auctorum memorati; facilè ego ſuſpicer, eſſe eosdem hos in Siciliâ Ἀγκυλίους. quidpe in longè alienas opida regiones transponere, haud rarum nec novum eſt iſti Stephani epitomatori.

ANCYLIVM *opidum.*

Eidem Diodoro, lib. XV, duo memorantur incertæ condicionis loca, in hiſtoriâ belli inter Dionyſium & Carthaginienſeis, quorum nomina erant, ut vulgata habent exemplaria, τὰ Κάβαλα, CABALA, & τὸ Κρόνιον, CRONIVM. quibus nullus certus adſignari poteſt ſitus. *Cronii* Polyænus quoque meminit, Strategem. lib. V.

CABALA, CRONIVM, *loca.*

Ex libro Diodori XXII, de rebus geſtis Pyrrhi regis hæc citantur in Excerptis legationum: Καὶ πρώτην πόλιν Ἡράκλειαν ὑπηγάγετο. μετὰ δὲ ταῦτα Ἀζώνας παρέλαβεν. εἶτα Σελινούντιοι τῷ βασιλεῖ προσεχώρησαν. εἶτα Ἀλιναῖοι καὶ Αἰγεταῖοι, καὶ ἄλλαι πλεῖσται πόλεις. Ἐρυκίνης δὲ ἐχούσης φρουρὰν ἀξιόλογον Καρχηδονίων, καὶ φύσιν ὀχυρὰν καὶ δυσπολιόρκητον, ἔκρινεν ὁ Πύρρος βίᾳ ταύτην ἐξελεῖν διὰ πολιορκίας. *, καὶ κατὰ κράτος εἷλε τὴν πόλιν. Φρουρὰν δὲ καταστήσας ἐν αὐτῇ, ἐπῆρε πρὸς τὴν Αἰγίνων πόλιν, ὀχυρότητι διαφέρουσαν, καὶ κατὰ τοῦ Πανόρμου καλῶς κειμένην. τῶν δὲ Ἰετίνων ἑκουσίως προσχωρησάντων, εὐθὺς ἧκεν ἐπὶ τὴν Πανορμιτῶν πόλιν. Id eſt: *Primamque urbium Heracleam ſubegit. dein Azones occupat. hinc Selinuntii regi ſeſe adjungunt. mox Alienai & Aegetani, aliaque opida plurima. Erycina verò quum non contemnendum haberet præſidium Carthaginienſium; naturâque eſſet firma & expugnatu difficilis; hanc vi per expugnationem capere decrevit.* * . *Summâq; vi urbem* *capit. præſidioque in eâ conſtituto ad Aeginorum urbem contendit, firmitate inſignem, & ſitu ad Panormum opportuno. Quumque Ietini ſe ultro accommodarent, ſtatim Panormitanorum urbem adgreditur.* Corrupta iſta vocabula, Ἀλιλωαῖοι & Αἰγιταῖοι, jam anteà, ſuperiori capite, emendavi in Ἀλικυαῖοι & Αἰγεσταῖοι, *Halicyæi* ac *Aegeſtani*. pro Αἰγίνων ſcribendum eſſe Ἰετίνων, cùm ipſa ſequens oratio docet, tum ſitus *Ietinorum* opidi in excelsâ præruptâque, ut ſuperiori capite oſtenſum, rupe, inter Panormum & Erycem, in mediterranea versùs. Tot igitur iſta vocabula quum ſint vitiata, ut innumera paſſim alia in iiſdem Excerptis; equidem haud dubitaverim vocabulum quoque Ἀζώνας in Μάζαρον, *Mazarum*, corrigere. quod Selinuntiorum fuiſſe caſtellum, ſuprà, lib. I cap. XVIII docui.

E libro Diodori XXIII hæc referunt Legationum excerpta: Ἀδράνωνα κώμην καὶ Μάκελλαν πολλὰς ἡμέρας πολιορκήσαντες Ῥωμαῖοι ἀπῆλθεν ἄπρακτοι. Αἰγεσταῖοι, πρῶτον κρατούμενοι ὑπὸ Καρχηδονίων, εἰς Ῥωμαίους ἀπέκλιναν. παραπλήσιον δὲ καὶ Ἀλιλωαῖοι ἐποίησαν. ἱλαρὸν δὲ καὶ τυρίττον καὶ τὸν ἄσκελον ἐξεπολιόρκησαν. τυνδάριοι δὲ ἰδόντες αὐτοὺς ἀπολελειμμένους, φόβῳ συσχεθέντες, ἠβουλήθησαν καὶ αὐτοὶ δοῦναι· ὑποπτεύσαντες δὲ Φοίνικες τὴν προαίρεσιν αὐτῶν, τοὺς ἐπιφανεστάτους ἔλαβον ὁμήρους εἰς τὸ Λιλύβαιον, καὶ σῖτον οἶνόν τε καὶ τὴν ἄλλην παρασκευὴν ἀπεκόμισαν. Hoc eſt: *Adronem vicum & Macellam per multos dies quum oppugnaſſent Romani, re infectâ abivère. Aegeſtani, qui primum Carthaginienſium imperio erant ſubjecti, ad Romanos inclinarunt. idemque & Alienæi fecerunt. Hilarum verò & Tyrittum Aſcelumque expugnarunt. Tyndarii autem, ubi derelictos ſe vident, metu adacti, etiam ipſi dedere ſe volebant. ſed Pœni, quid propoſitum haberent, ſuſpicati, nobiliſſimos eorum obſides receperunt in Lilybæum: frumentumque ac vinum & reliquum commeatum inde abſportarunt.* Mendoſam vocem Ἀλιλωαῖοι, jam anteà in Ἀλικυαῖοι reſtituimus. *Tyndaritanos* heic ſubſiſtere nullo modo poſſe, cuilibet diſpectu facile eſt; quum loca iſta cuncta in extremâ inſulæ versùs occidentem parte poſita fuerint. Vocabulum autem τὸν Ἄσκελον quin corrigendum ſit in τὸν Ἄκελλον, nemo dubitaverit, qui in iiſdem Legationum excerptis è Diodori lib. XXIII legerit iſta: Ὁ δὲ Ἰούνιος εἰς τὸ στρατόπεδον ἦλθε τὸ Λιλυβαίου. νυκτὸς δὲ οὗτος ἐπιπεσὼν, τὸν Ἔρυκα παρέλαβε· καὶ τὸν Αἰγίθαλλον ἐτείχισεν, ὅνπερ νῦν Ἄκελλον καλοῦσιν. Id eſt: *Iunius in caſtra ad Lilybæum abiit. Is noctu Erycem adortus occupavit: & Aegithallum communivit: quem nunc Acellum vocant.* Ex hoc ſanè loco omnino judico ſcriptum fuiſſe & ex præcedente libro, Αἰγίθαλλον δὲ ὅνπερ νῦν καλοῦσι τὸν Ἄκελλον. ex quo poſteà facta ſunt illa vitiata, ἱλαρὸν δὲ καὶ τυρίττον καὶ τὸν Ἄσκελον. Pro voce autem τυνδάριοι reſtituendum cenſeo Δρεπάνιοι, ſive Δρεπανῖται, *Drepanii*, ſeu *Drepanitani*. ſic quidpe poſteà ex dicto lib. XXIIII: Ὁ δὲ Κλαύδιος εἰς τὰ Δρέπανα πρὸς Καρχηδονίους ἀπῆλθε, πολεμήσων αὐτούς. * . * . Καὶ τὴν ἀγορὰν τῶν Ῥωμαίων τοῦ σίτου ἔφερον [οἱ Καρχηδόνιοι] εἰς Δρέπανα. καὶ τῆς λοιπῆς ἀγορᾶς τὴν χρείαν ἐκ τῆς Δρεπάνης λαβόντες, εἰς τὸ Λιλύβαιον ἦλθον. Id eſt: *Claudius Drepana adversùs Carthaginienſeis profectus eſt, uti cum iis dimicaret.* * . * . *Commeatum Romanorum frumenti interceptum Drepana comportarunt* [Carthaginienſes] *ac de reliquo commeatu, quantum uſui ſibi futurum erat, è Drepanitano agro accepto Lilybæum abiverunt.*

Cæterùm apud Silium, lib. XIIII, hi leguntur verſus:

Sidonios Arabeia ferox & celſus Ietas,
Et bellare Tabas docilis Coſſyraque parva,
Nec maior Megarâ Mutye concordibus auſis
Iuvère, & ſtrato Caulum ſpectabile ponto,
Quum ſonat Halcyones cantu, nidoſque natanteis
Immota geſtat, ſopitis fluctibus, unda.

ARBELA *opidulum.*

Ex his *Arabeia*, nullum dubium eſt, quin ſit vitiato nomine à vero ARBELA. fuit quidpe perantiqua *urbs* Siciliæ hoc vocabulo ἡ Ἀρβέλη· ſeu plurali etiam numero αἱ Ἀρβέλαι, Stephani epitomatori, Svidæ, atque Apoſtolio in Proverbiis memorata. Stephani epitomator: Ἀρβέλη, πόλις Σικελίας. τὸ ἐθνικὸν Ἀρβελαῖος. Φίλιστος, Σικελικῶν ὀγδόῃ. Id eſt: *Arbela, opidum Siciliæ. gentilitium Arbelæus: auctore Philiſto, Sicular. rer. lib.* VIII. Svidas: Ἀρβέλαι, πόλισμα Σικελικόν· ἢ Ἀρβέλη. οἱ δὲ ἐνοικοῦντες ἐκεῖσε ἐδόκουν εὐεξαπάτητοι εἶναι· καὶ παροιμία· Τί οὐ γενήσῃ ἰὼν ἐς Ἀρβέλας. Hoc eſt: *Arbelæ, opidulum Siciliæ; ſive Arbela. Incolæ autem eius faciles ad decipiendum eſſe putabantur. unde proverbium: Quid non fies, Arbelas ſi te conferas?* Eadem ferè verba referunt Apoſtolius & Proverbiorum adpendix Vaticana: niſi quòd in hac nomen opiduli corruptum eſt Ἀρβέλα, Ἄρβελα, pro Ἄρβελαι. nam ibidem eſt ἰὼν εἰς Ἀρβέλας. De cætero quo ſitu opidulum hoc fuerit, planè nihil liquet. Id verò ne te moveat, quòd Silius in eo vocabulo literam brevem ε produxerit. ſic ſcilicet idem in voce *Ietas* fecit; quæ & ipſa Græcis erat Ἰεταί· ut ſuperiori capite patuit.

TABAS opidum.

Alterum illud opidum ὁ Τάβας, TABAS, nulli alii memoratum eſt: niſi fuerit fortè idem, de quo ita Stephani epitomator: Ταύακα, πόλις Σικελίας· Φίλιστος ὀγδόῳ. τὸ ἐθνικὸν Ταυακῖνος. Id eſt: *Tauaca, opidum Siciliæ; auctore Philiſto, lib.* VIII. *Gentilitium inde Tauacinus.* Eſt hodiè Ennæ, Aſſôro, atque Agyrio conterminum caſtellum, vulgari vocabulo *Tavi*. id eſſe antiquum illum *Tabam*, nullâ aliâ certâ conjecturâ, niſi ſolâ nominis quadam ſimilitudine, adſequi licet. Et ut *Ietas* eiusdem Silii Græcis formabatur plurali numero Ἰεταί, ſic & *Tabas* fortè fuit Τάβαι, TABAE.

INDARA, CRASTVS, opida.

In occidentali item inſulæ parte *opida* memorantur Stephani epitomatori Ἴνδαρα, INDARA, & Κραστὸς, CRASTVS. quorum huius Herodotus quoque & Svidas meminêre. Sed Herodoto formatur ὁ Κράστις, CRASTIS; ut mox videbimus. Stephani epitomator: Ἴνδαρα, Σικανῶν πόλις· Θεόπομπος. τὸ ἐθνικὸν Ἰνδαραῖος, ὡς Ἱμεραῖος. Id eſt: *Indara, Sicanorum opidum; auctore Theopompo. Gentilitium, Indaræus: ut Himeræus.* Et poſteà: Κραστὸς, πόλις Σικελίας τῶν Σικανῶν· Φίλιστος, Σικελικῶν τρισκαιδεκάτῳ. Ἐκ ταύτης ἦν Ἐπίχαρμος ὁ κωμικὸς, καὶ Λαῒς ἡ ἑταίρα, ὡς Νεάνθης ἐν τῷ περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν. ἔχει δὲ ἡ πόλις εὐπρεπεστάτας γυναῖκας, ὡς Φιλήμων. Ἀπίων δὲ, ὅτι μόνος Πολέμων ἔφη τὴν Λαΐδα Κορινθίαν. ὁ πολίτης Κραστῖνος. Id eſt: *Craſtus, opidum Siciliæ Sicanorum; auctore Philiſto, Sicular. rer. lib.* XIII. *Ex hoc fuit Epicharmus comicus; & item Lais meretrix; ut auctor eſt Neanthes, in libro de viris illuſtribus. Habet autem hoc opidum formoſiſſimas mulieres; teſte Philemone. At Apion tradit, ſolum Polemonem adpellaſſe Laidem Corinthiam. Opidanus inde eſt Craſtinus.* Svidas: Ἐπίχαρμος, Τιτύρου ἢ Χειμάρου καὶ Σικίδος, Συρακούσιος, ἢ ἐκ πόλεως Κραστοῦ τῶν Σικανῶν. Id eſt: *Epicharmus, Tityri ſive Chimari & Sicidis filius, Syracuſanus, ſive ex opido Sicanorum Craſto.* Sicanorum fines quum jam inde à transgreſſu Siculorum ex Italiâ in Siciliam extra duos Himeras amneis, ut lib. I cap. XVII docui, conſtiterint, falſiſſima eſt ſententia Fazelli, qui decad. I lib. X. *Craſtum* tradit fuiſſe prope Alcaram opidum; ubi veteris urbis ruinas reperit circa Roſmarinum amnem. Ortelii quoque haud levior eſt error; qui in Theſauro geographico, Siciliam heic apud Stephani epitomatorem intelligit partem Italiæ inferiorem, inſulæ Siciliæ proximam; quæ & ipſa poſteriori ſæculo Siciliæ nomine adpellabatur; ut ſuo loco in Italiæ opere oſtenſum: hancque opinionem ſuam Herodoti auctoritate adſerere ſe poſſe putavit. Apud Herodotum, lib. V, hæc leguntur de Dorieo Lacedæmonio: Ἐνθαῦτα δέ οἱ Ἀντιχάρης, ἀνὴρ Ἐλεώνιος, συνεβούλευσε ἐκ τῶν Λαΐου χρησμῶν, Ἡράκλειαν τὴν ἐν Σικελίῃ κτίζειν, φὰς τὴν Ἔρυκος χώρην πᾶσαν εἶναι Ἡρακλειδέων, αὐτοῦ Ἡρακλέος κτησαμένου. ὁ δὲ ἀκούσας ταῦτα, ἐς Δελφοὺς οἴχετο, χρησόμενος τῷ χρηστηρίῳ, εἰ αἱρέει ἐπ' ἣν στέλλεται χώρην. ἡ δὲ Πυθίη οἱ χρᾷ αἱρήσειν. Παραλαβὼν δὲ ὁ Δωριεὺς τὸν στόλον, ἐκομίζετο παρὰ τὴν Ἰταλίην. Τὸν χρόνον δὲ τοῦτον, ὡς λέγουσι Συβαρῖται, σφέας τε αὐτοὺς καὶ Τῆλυν τὸν ἑωυτῶν βασιλέα ἐπὶ Κρότωνα μέλλειν στρατεύεσθαι· τοὺς δὲ Κροτωνιήτας, περιδεέας γενομένους, δεηθῆναι Δωριέος σφίσι τιμωρῆσαι, καὶ τυχεῖν δεηθέντας. συστρατεύεσθαί τε δὴ ἐπὶ Σύβαριν Δωριέα, καὶ συνελεῖν τὴν Σύβαριν. Ταῦτα μέν νυν Συβαρῖται λέγουσι ποιῆσαι Δωριέα τε καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ. Κροτωνιῆται δὲ οὐδένα σφίσι φασὶ ξεῖνον προσεπιλαβέσθαι τοῦ πρὸς Συβαρίτας πολέμου, εἰ μὴ Καλλίαν τῶν Ἰαμιδέων μάντιν Ἠλεῖον μοῦνον. Ταῦτα δὲ οὐκ οὕτω λέγουσι. μαρτύρια δὲ τούτων ἑκάτεροι ἀποδεικνῦσι τάδε· Συβαρῖται μὲν τέμενός τε καὶ νηὸν ἐόντα παρὰ τὸν ξηρὸν Κράσιν· τὸν ἱδρύσασθαι συνελόντα τὴν πόλιν Δωριέα λέγουσι Ἀθηναίῃ ἐπωνύμῳ Κρασίῃ. τοῦτο δὲ, αὐτοῦ Δωριέος τὸν θάνατον μαρτύριον μέγιστον ποιεῦνται, ὅτι παρὰ τὰ μεμαντευμένα ποιέων διεφθάρη. εἰ γὰρ δὴ μὴ παρέπρηξε μηδὲν, ἐπ' ᾧ δὲ ἐστάλη ἐποίεε, εἷλε ἂν τὴν Ἐρυκίνην χώρην, καὶ ἑλὼν κατέσχε· οὐδ' ἂν αὐτός τε καὶ ἡ στρατιὴ διεφθάρη. Οἱ δ' αὖ Κροτωνιῆται ἀποδεικνῦσι Καλλίῃ μὲν τῷ Ἠλείῳ ἐξαίρετα ἐν γῇ τῇ Κροτωνιήτιδι πολλὰ δοθέντα· τὰ καὶ ἐς ἐμὲ ἔτι ἐνέμοντο οἱ Καλλίεω ἀπόγονοι, Δωριέϊ δὲ καὶ τοῖσι Δωριέος ἀπογόνοισι οὐδέν. καίτοι εἰ συνεπελάβετο τοῦ Συβαριτικοῦ πολέμου Δωριεὺς, δοθῆναι ἄν οἱ πολλαπλάσια ἢ Καλλίῃ. Ταῦτα μέν νυν ἑκάτεροι αὐτῶν μαρτύρια ἀποφαίνονται. Συνέπλεον δὲ Δωριέϊ καὶ ἄλλοι συγκτίσται Σπαρτιητέων, Θεσσαλὸς καὶ Παραιβάτης καὶ Κελέης καὶ Εὐρυλέων· οἳ ἐπεί τε ἀπίκοντο παντὶ στόλῳ ἐς τὴν Σικελίην, ἀπέθανον μάχῃ ἑσσωθέντες ὑπό τε Φοινίκων καὶ Αἰγεσταίων. μοῦνος δέ γε Εὐρυλέων τῶν συγκτιστέων περιεγένετο τούτου τοῦ πάθεος. Συλλαβὼν δὲ οὗτος τῆς στρατιῆς τοὺς περιγενομένους, ἔσχε Μινώην τὴν Σελινουσίων ἀποικίην. Hoc eſt: *Heic Antichares, vir Eleonius, conſilium ei dedit ex Laii oraculis, ut Heracleam in Siciliâ conderet; adſirmans, omnem Erycis regionem eſſe Heraclidarum, ab ipſo*

Hercule adquiſitam. Hoc illo audito, Delphos ſe contulit, ad oraculum conſulendum, numquid regione, ad quam mittebatur, potiturus eſſet. Pythia, eum potiturum, reſpondit. Sumtâ igitur Dorieus claſſe, Italiam prætervehebatur. Fortè tum Sybaritani, ut ipſi aiunt, cum rege ſuo Tely bellum Crotonienſibus erant illaturi. id metuentes Crotonienſes, Dorieum, uti ſibi opem ferret, oravère. Is precibus inductus, unà cum illis adverſùs Sybarin exercitum duxit: eamque cepit. Hæc quidem Sybaritani aiunt Dorieum, & qui cum illo erant, feciſſe. at Crotonienſes negant ſe quemquam exterum in bello adverſùs Sybaritanos adſciviſſe, præter unum Calliam Eleum, ex Iamideis vaticinibus. Hæc iſti ita aiunt. earumque rerum utrique teſtimonia hæc adferunt: Sybaritani quidem, partim lucum ac fanum apud Craſtin; quod Dorieum captâ urbe aiunt excitaſſe Minervæ cognomento Craſtiæ: partim ipſius Dorici necem; quam volunt eſſe maximum documentum, quòd, contra oraculi reſponſa dum ageret, interemtus fuit. quidpe ſi nihil, niſi id, ad quod mittebatur, facere occepiſſet; Erycinam terram obtenturum fuiſſe, obtentamque poſſeſſurum: nec ipſe unà cum exercitu abſumtus fuiſſet. At Crotonienſes multa monſtrant peculiariter donata Calliæ Eléo in agro Crotonienſi: quæ etiam ad meam usque ætatem poſteri Calliæ incolebant. Dorico autem & eius poſteris nihil omnino fuiſſe donatum. cui tamen, ſi in bello Sybaritano fuiſſet Crotonienſibus auxilio, multo plura, quàm Calliæ, fuiſſent donata. Atque hæc pro ſe utrique eorum documenta adferunt. Cæterùm navigarunt cum Dorieo & alii Spartanorum, deducendæ coloniæ ſocii: Theſſalus, Parabates, Celees, & Euryleon. qui quum Siciliam omni claſſe tenuerunt, ſuperati à Phœnicibus atque Aegeſtanis, in prælio occubuerunt omnes; uno tantùm huic adverſæ pugnæ ſuperſtite Euryleonte. Hic, collectis exercitus reliquiis, Minoam Selinuntiorum occupavit coloniam. Hanc Doriei in Siciliam ad Heracleam Minoam expeditionem etiam ſuprà lib. I cap. XVII ex Diodori lib. IIII citavimus. Quum igitur ex Herodoti ſimul atque Diodori hiſtoriis conſtet, Dorieum perveniſſe in Siciliam; Svidas verò & Stephanus ex vetuſtiſſimis Philiſti monumentis *Craſtum* teſtantur Sicanorum fuiſſe in Siciliâ opidum; nulla ratio eſt reliqua, cur dubitare velis, Dorieum iſtud *Minervæ Craſtiæ fanum* in Siciliâ demum condidiſſe, dum bellum illic contra Elymos ſive Aegeſtanos atque Phœnices gereret. Fuit igitur *Craſtus* in Sicanorum finibus circa Heracleam Minoam. Eſt hodiè hoc tractu in mediterraneis opidum vulgari vocabulo *Acriſtia:* quod ſuperiori capite, fortè *Scirthæam* Diodori eſſe, ex vocabulorum ſimilitudine conjeci. verùm id ſi quis antiquum eſſe *Craſtum* adſerere velit, haud equidem multum obluctabor. Cæterùm Laidem fuiſſe Hyccarenſem, plerique tradiderunt auctores; ut ſuprà huius lib. II cap. II patuit.

HIPPANA *opidum.*

Porrò opidum memoratur Polybio & ex huius monimentis Stephano Ἵππανα, HIPPANA: quod in Legationum excerptis è Diodori lib. XXIII corrupto vocabulo legitur Σίττανα, *Sittana*; ut mox videbimus. Stephani epitomator: Ἵππανα, πόλις περὶ Καρχηδόνα, ὡς Πολύβιος πρώτῳ. τὸ ἐθνικὸν, Ἱππανεύς, ὡς Τύανα Τυανεύς. Id eſt: *Hippana, opidum circa Carthaginem; auctore Polybio in lib. I. Gentilitium* HIPPANENSIS; *ut Tyana Tyanenſis.* Vocabula tantùm ſectatos fuiſſe huiusmodi grammaticos geographiæ collectores, non ipſas hiſtorias, vel ex hoc loco ſatis adparere puto. ſic ſcilicet ex eâdem Polybii hiſtoriâ Mytiſtratum etiam fecit opidum circa Carthaginem; ſic Tunetem, Africæ prope Carthaginem urbem, in Siciliam tranſtulit; ut ſuperiori capite dictum eſt. Cæterò apud hunc epitomatorem unico equidem π ſcriptum eſt Ἵπανα. at quia apud Polybium eſt geminum ππ, & in dictis Legationum excerptis etiam geminum ττ, mutilatum id vocabulum eſſe altero π apud Stephani epitomatorem, credibile eſt. In Legationum eclogis ita ſcriptum eſt: Ἀδράνωνα κώμην καὶ Μάκελλαν πολλὰς ἡμέρας πολιορκήσαντες Ῥωμαῖοι, ἀπῆλθον ἄπρακτοι. Αἰγεσταῖοι, πρῶτον κρατούμενοι ὑπὸ Καρχηδονίων, εἰς Ῥωμαίους ἀπέκλιναν. παραπλήσιον δὲ καὶ [Ἁλικυαῖοι ἐποίησαν. [Αἰγίθαλλον δὲ, ὅνπερ νῦν καλοῦσι τὸν Ἀκελὸν] ἐξεπολιόρκησαν. [Δρεπάνιοι] δὲ, ἰδόντες αὐτοὺς ἀπολελειμμένους, φόβῳ συσχεθέντες, ἠβουλήθησαν καὶ αὐτοὶ δοῦναι. * · * . Πολλὰ δὲ οἱ Φοίνικες ἀντιμαχήσαντες, τὴν πόλιν Ἀκράγαντα τοῖς Ῥωμαίοις παρέδωκαν. * · * · * . Ἄγνωνα δὲ οἱ Καρχηδόνιοι ἐζημίωσαν χρυσοῖς ͵ϛ, ἀτιμάσαντες. ἀντὶ δὲ τούτου στρατηγὸν ἀπέστειλαν εἰς Σικελίαν Ἀμίλκαν. Μυτίστρατον δὲ πολιορκήσαντες Ῥωμαῖοι, καὶ πολλὰς μηχανὰς ποιήσαντες, μετὰ μῆνας ζ' ἀνεχώρησαν ἄπρακτοι. Ἀμίλκας δὲ τοῖς Ῥωμαίοις ζωντήσας εἰς Θερμὰς, καὶ πολεμήσας, ἐνίκησε, καὶ ἀπέκτεινεν ͵ϛ. Ἦν δὲ καὶ τὸ Μάζαρον φρούριον ὑπὸ Ῥωμαίων ἐξανδραποδισμένον. Ἀμίλκας δὲ ὁ Καρχηδόνιος Καμάριναν ὑπὸ προδοτῶν παρέλαβε δεύτερον. μετ᾽ ὀλίγας δὲ ἡμέρας καὶ τὴν Ἔνναν ἐκυρίευσεν ὃν τρόπον καὶ Καμαρίνης. Τὸ δὲ Δρέπανον τειχίσας, καὶ πόλιν κατασκευάσας, μετῴκισε τοὺς Ἐρυκίνους,

Ἐρυκίνους, καὶ τὸν Ἔρυκα κατέσκαψε. Τρίτον δὲ πολιορκήσαντες τὸ Μυτίστρατον Ῥωμαῖοι, εἷλον καὶ κατέσκαψαν τὴν πόλιν. Μετὰ ταῦτα δὲ εἰς Καμαρίναν ἦλθεν ὁ [ὕπατος,] * καὶ τὴν πόλιν εἷλε. Εὐθὺς δὲ ὑπὸ προδοτῶν καὶ τὴν Ἔνναν εἷλε. Εἶτα ἐπὶ Σιττάναν ἐλθὼν, κατὰ κράτος ταύτην εἷλε. εἶτα ἐπὶ Κάμικον ἦλθε, φρούριον Ἀκραγαντίνων. Hoc eſt: *Adronem vicum & Macellam per multos dies quum oppugnaſſent Romani, re infectâ abivêre. Aegeſtani, qui anteà Carthaginienſium imperio erant ſubjecti, ad Romanos inclinarunt. idemq; & Halicyenſes fecêre. Aegithallum verò, quem nunc vocant Acelum, vi expugnarunt. Drepanitani, ubi derelictos ſe vident, metu adacti, etiam ipſi dedere ſe volebant. Pœni quum ſtrenuè pro Agrigento propugnaſſent, ad extremum urbem Romanis dediderunt. Cæterùm Hannonem Carthaginienſes, honore motum, VI millibus aureorum mulctarunt: & in eius locum ducem exercitus in Siciliâ miſerunt Amilcarem. Romani quum Mytiſtratum obſediſſent, multasque ad hoc machinas fabricaſſent, poſt menſeis tandem VII re infectâ inde abiverunt. Amilcar verò Carthaginienſis Camarinam per proditionem recepit. paucisq; pòſt diebus Ennâ quoque potitur, eodem, quo Camarinam ſubegerat, modo. Drepanum communiens, opidum ex eo fecit: translatisque eò Erycinis, Erycem diruit. Mytiſtratum verò, tertiò obſeſſum, Romani ceperunt, ſoloque æquarunt. Poſt hæc ad Camarinam proceſſit conſul, * : urbemque cepit. Hinc continuò proditorum operâ & Ennam capit. Inde ad Sittanam progreſſus, ſummâ vi urbem expugnat. Hinc ad Camicum ſe convertit, Agrigentinorum caſtellum.* Alio ordine hæc narrat Polybius, dicto lib. I. Τότε μὲν οὖν, inquit, προσχόντες τῇ Σικελίᾳ οἱ Ῥωμαῖοι, τήν τε Αἰγεστέων ἔλυσαν πολιορκίαν, ἐσχάτως αὐτῶν ἤδη διακειμένων. κατά τε τὴν ἐκ τῆς Αἰγέστης ἀναχώρησιν Μάκελλαν πόλιν κατὰ κράτος εἷλον. Μετὰ δὲ τὴν ναυμαχίαν Ἀμίλκας, ὁ τῶν Καρχηδονίων στρατηγὸς, διατρίβων περὶ Πάνορμον, γνοὺς ἐν τοῖς Ῥωμαϊκοῖς στρατοπέδοις στασιάζοντας τοὺς συμμάχους πρὸς τοὺς Ῥωμαίους περὶ τῶν ἐν ταῖς μάχαις πρωτείων, καὶ πυνθανόμενος στρατοπεδεύειν αὐτοὺς καθ' ἑαυτοὺς τοὺς συμμάχους μεταξὺ τοῦ Παρώπου καὶ τῶν Θερμῶν τῶν Ἱμεραίων, ἐπιπεσὼν αὐτοῖς αἰφνιδίως ἀναστρατοπεδεύουσι μετὰ πάσης τῆς δυνάμεως, σχεδὸν εἰς τετρακισχιλίους ἀπέκτεινε. * . * . Τὰ δ' ἐν τῇ Σικελίᾳ στρατόπεδα τῶν Ῥωμαίων κατὰ μὲν τὸν ἑξῆς ἐνιαυτὸν οὐδὲν ἄξιον ἔπραξαν λόγου. τότε δὲ προσδεξάμενοι τοὺς ἐπικαθεσταμένους ἄρχοντας, Αὖλον Ἀτίλιον καὶ Γάϊον Σουλπίκιον, ὥρμησαν ἐπὶ τὸν Πάνορμον, διὰ τὸ τὰς Καρχηδονίων δυνάμεις ἐκεῖ παραχειμάζειν. οἱ δὲ στρατηγοὶ συνεγγίσαντες τῇ πόλει μετὰ πάσης τῆς δυνάμεως παρετάξαντο. τῶν δὲ πολεμίων οὐκ ἀντεξιόντων, πάλιν ἐντεῦθεν ἐποιήσαντο τὴν ὁρμὴν ἐπὶ πόλιν Ἱππάναν. καὶ ταύτην μὲν ἐξ ἐφόδου κατὰ κράτος ἔλαβον. εἷλον δὲ καὶ τὸ Μυτίστρατον, πολλοὺς χρόνους ὑπομεμενηκὸς τὴν πολιορκίαν, διὰ τὴν ὀχυρότητα τοῦ τόπου. Τὴν δὲ Καμαριναίων πόλιν, μικρῷ πρότερον ἀπ' αὐτῶν ἀποστᾶσαν, τότε προσενέγκαντες ἔργα καὶ καταβαλόντες τὰ τείχη, κατέσχον. Ὁμοίως δὲ καὶ τὴν Ἔνναν, καὶ ἕτερα πλείω πολισμάτια Καρχηδονίων. Ἀπὸ δὲ τούτων γενόμενοι Λιπαραίους ἐπεχείρησαν πολιορκεῖν. Id eſt: *Tunc igitur Romani, excenſione in Siciliam factâ, Aegeſtanos, ad ultima jam redactos, obſidione liberarunt. Mox inde profecti, Macellam opidum vi expugnarunt. Poſt navalem pugnam Amilcar, dux Carthaginienſium, Panormi certior factus, ſeditionem in caſtris Romanis verſari, ortâ inter auxilia & legiones contentione de loco principe in prœliis; audito, ſolos per ſe ſocios inter Parôpum & Thermas Himerenſeis caſtra metari, repentè in eos, dum adhuc caſtra movent, irruit, & ad IV ferè millia hominum cecidit.* Paullo pòſt: *Proximo anno legiones, quæ in Siciliâ erant, memoriâ nihil dignum geſſerunt. Vbi verò, qui deinceps creati ſunt conſules, Aulus Atilius & C. Sulpicius advenerunt, quia Panormi Carthaginienſium copiæ hibernabant, eò ducitur. Vt ventum eſt prope urbem, conſules univerſum exercitum in aciem inſtruunt. at nemine hoſtium adverſus prodeunte, inde profecti Hippanam petunt; eamque per vim coronâ capiunt. captum & opidum Mytiſtratum, locus naturâ munitus, & qui ideò obſidionem diu toleravit. Camarinenſium etiam urbem, quæ paullo antè ab iis defecerat, admotis tum operibus & muris dejectis, occuparunt. item Ennam; & plura alia Carthaginienſium parva opida. quibus expeditis, Liparenſeis obſidere inſtituerunt.* Ex hac igitur Polybii narratione, *Hippana* inter Panormum & Mytiſtratum fuiſſe, colligere datur.

In prædictis Legationum excerptis ex eodem Diodori lib. XXIII citantur *opidani* Ἠνναττα ρῖνοι, *Ennattarini*: ſed corrupto & ipſi haud dubiè, ut complures ibidem alii, vocabulo. Verba illic hæc leguntur: Ἰετῖνοι δὲ, ἐκβαλόντες τὴν τῶν Φοινίκων φρουρὰν, τὴν πόλιν Ῥωμαίοις ἔδωκαν. παραπλησίως δὲ τούτοις ἐποίησαν Σολουντῖνοι καὶ Πετρῖνοι καὶ Ἠνναττα ρῖνοι καὶ Τυνδαρῖδαι. οἱ δὲ ὕπατοι φρουρὰν ἐν Πανόρμῳ λιπόντες, ἀπῆλθον εἰς Μεσσήνην. Hoc eſt: *Ietini, ejecto Pœnorum præſidio, urbem Romanis tradiderunt. idem fecêre Soluntini quoque, & Petrini, & Ennattarini, & Tyndaritani. Tum conſules, relicto Panormi præſidio, Meſſanam abivêre.*

Idem Diodorus lib. XX memorat τὸ καλούμενον Γόργιον, id eſt, *Gorgium quod vocant*:

& Ἀμβικας

& Ἄμβικας χωρίον, *Ambicas opidulum*; incerto prorſus ſitu. pro illo tamen alia exemplaria habent Γοργόνιον, *Gorgonium*: utrum rectius, haud facilè quis dixerit. Apud Heſychium tamen ita legitur: Τόργιον, ὄρος ἐν Σικελίᾳ, ὅπου νεοττεύουσιν οἱ γῦπες· ἀφ' οὗ καὶ αὐτοὶ τόργοι. Τόργος, εἶδος γυπὸς αἱματορρόφου. ἔστι δὲ καὶ ὁ γὺψ παρὰ Σικελιώταις. Id eſt: *Torgium, mons in Siciliâ, in quo nidulantur vultures. unde etiam hi dicuntur torgi. Torgus, genus vulturis, ſangvinem exſorbentis. Eſt etiam vultur Siculis.* Apud Diodorum igitur etiam ſcriptum fuiſſe τὸ καλούμενον Τόργιον ὄρος, id eſt, *mons, quem Torgium vocant*, ſuſpicari quis poſſit.

Cæterùm apud Plinium, lib. III, cap. VIII, opidani inter mediterraneos leguntur *Edini*, ſive *Etini*, *Herbulenſes*, & *Semellitani*. quorum opida quo ſitu fuerint, incertum eſt.

Apud Stephani autem epitomatorem opida incertæ poſitionis leguntur iſta: Ἄβολλα, Ἀμάθη, Ἄργος, Ἀτάβυρον, Ἀτέριον, Ἀφάνναι, Εἴζηλος, Ἐλαυία, Ἑξαγύϊος, Ἰαιτία, Κρασέριον, Κυδωνία, Κύπη, Λίχινδος, Λογγώνη, Μέγαρσος, Μίσκερα, Νακώνη, Πίακος, Ῥύβδος, Ταρχία, Τερβητία, Τερώνη. Id eſt: *Abolla, Amatha, Argos, Atabyrum, Aterium, Aphannæ, Eizelus, Elavia, Hexagyius, Iætia, Craſerium, Cydonia, Cupe, Lichindus, Longona, Megarſus, Miſcera, Nacone, Piacus, Rhybdus, Tarchia, Terbetia, Terone.* & item χώρα Πελαγονία, *regio Pelagonia*. At quia multa paſſim adeóque innumera apud Stephani epitomatorem corrupta ſunt vocabula; alia etiam è locis ſuis genuinis atque veris in longè alieniſſimas regiones tranſlata: de horum quoque nonnullis dubitare quis meritò poſſit. huc accedit, quòd Italiæ etiam magna pars, ut ſuprà dictum, iſto ſæculo Siciliæ nomine indigetabatur. Ac μέγαρσον quidem, quod epitomatori memoratur in voce Ἀγάθυρσοι, Ciliciæ fuiſſe opidum, teſtis eſt Iſacius Tzetzes in Lycophronem; & cum hoc Plinius, lib. v, cap. XXVII; cui dicitur *Magarſos*. Apud epitomatorem igitur Stephani legendum eſt eo loco Κιλικίας pro Σικελίας. quod mendum haud raró apud alios etiam ſcriptores occurrit: & apud hunc noſtrum epitomatorem in vocibus Σόλοι & Σολοῦς, ut ſuprà cap. III huius libri II docui.

Atque hactenus Siciliæ, inſulæ omnium totius terrarum Orbis celebratiſſimæ, antiquitatem ex veterum idoneorumque auctorum monumentis cum bono propitioque Deo eruiſſe ſufficiat. Memini equidem, ſub finem capitis II libri I me promiſiſſe, ſummatim ad finem huius operis me enarraturum, quæ Carthaginienſes in eâ cum Græcis reliquisque inſulæ incolis, quæ item Romani cum utriſque bella geſſerint. verùm quia hoc peritiſſimum patriæ ſuæ virum, Thomam Fazellum, abundè in Sicular. rer. decade II præſtitiſſe video; actum agere, vel diligentiæ tanti viri laborique manus injicere, indignum nefasque putavi: utique, quum ad alias Orbis parteis properem. etenim ingens univerſi eſt vaſtitas: vitæ autem noſtræ nimia brevitas; eaque incerta. Id tamen in exitu huius commentationis addidiſſe haud pigeat, quod de numero univerſarum urbium atque opidorum, quum in Romanorum veniret poteſtatem inſula, apud auctores adnotatum reperio. Livius itaque lib. XXVI, in rebus geſtis belli Punici ſecundi, ita tradit: *Fama Agrigentinorum cladis Siciliam quum pervaſiſſet, omnes repentè ad Romanos inclinaverunt. Prodita brevi ſunt* XX *opida; ſex vi capta; voluntariâ deditione in fidem venerunt ad quadraginta.* Vniverſo igitur numero fuêre LXVI. At in Excerptis legationum è Diodori lib. XXIII, in hiſtoriâ finis belli Punici primi, qui finem ſecundi annis XXXVIII præceſſit, plura memorantur. Verba illic leguntur iſta: Τῶν ὑπάτων ἀμφοτέρων εἰς Σικελίαν ἐλθόντων, καὶ τὴν Ἀδρανιτῶν πόλιν πολιορκησάντων, εἷλον κατὰ κράτος. εἶτα τὴν Κεντοριπίνων πολιορκούντων, ἧκον πρέσβεις πρῶτον παρ' Ἀλαισίνων· εἶτα δειλίας ἐμπεσούσης καὶ ταῖς ἄλλαις πόλεσι, καὶ αὐταὶ πρέσβεις ἀπέστελλαν περὶ εἰρήνης, καὶ ἐπιδόσειν τὰς πόλεις Ῥωμαίοις· ἦσαν δὲ ξζ΄· ὧν παραλαβόντες τὰς δυνάμεις, εἰς Συρακούσας ἦλθον πολιορκήσοντες Ἱέρωνα. ὁρῶν δὲ τοὺς Συρακουσίους ἀγανακτοῦντας, πρέσβεις ἀπέστελλε πρὸς τοὺς ὑπάτους περὶ διαλύσεως. οἱ δὲ σπεύδοντες πρὸς μόνους Καρχηδονίους διαπολεμεῖν, ἀσμένως ὑπήκουσαν. καὶ συνέθεντο εἰρήνην ἔτη ιε΄, λαβόντες δραχμῶν ιε΄ μυριάδας, καὶ τοὺς αἰχμαλώτους ἀποδόντι συνεχώρησαν κυριεύειν Συρακουσίων καὶ τῶν ὑπ' αὐτῶν πόλεων, Ἄκρων, Λεοντίνων, Μεγάρων, Ἑλώρου, Νεήτου, Ταυρομενίου. Hoc eſt: *Quum ambo conſules, in Siciliam profecti, Adranitanorum urbem obſediſſent, vi illam ceperunt. Deinde quum Centuripinorum quoque urbem oppugnarent, legati primùm ab Alæſinis venerunt; mox, quum aliis etiam civitatibus metus incumberet, legatos & ipſæ miſerunt de pace petendâ; opidaque Romanis dedere parati erant. Fuerunt autem numero* LXVII. *quarum copiis adſumtis, Syra-*

cuſas petierunt, Hieronem oppugnaturi. Is quum graviter id ferre Syracuſanos videret, legatos de bello dirimendo ad conſules miſit. Hi ergo, cum ſolis Carthaginienſibus debellare properantes, condicionem haud inviti admittebant. pacem itaque ad XV *annos compoſuêre; acceptis* CL *millibus drachmarum. & poſtquàm captivos illis reddidiſſet, permiſerunt ei, ut & Syracuſanos ſub dominio ſuo retineret, & urbeis illis ſubjectas; Acras, Leontinos, Megara, Helorum, Neetum, Tauromenium.* Has urbeis licèt & ipſas legatos ad conſules de deditione miſiſſe exiſtimes, tamen Syracuſæ LXVII illis non ſunt connumeratæ. Sed quænam tunc fuerint eo in numero civitates, haud facile divinatu eſt. Poſterioribus etiam ſub Rom. imperio temporibus non defeciſſe eârum numerum, patet ex Martiani Capellæ, in lib. vi, ubi Sicilia deſcribitur, verbis iſtis: *Coloniæ in Siciliâ quinque: urbes ſexaginta tres.* At nobis coloniæ VIII apud auctores diſpectæ ſunt; *Tauromenium, Catana, Syracuſæ, Heraclea, Thermæ Selinuntiæ, Panormus, Thermæ Himerenſes, & Tyndaris.* quarum ſuis quamque locis indicavimus. Sed error is haud dubiè fuit Capellæ, è Ciceronis Verrinâ iii hauſtus; ubi ita ſcriptum eſt: *Fœderatæ civitates duæ ſunt; Mamertina & Taurominitana. quinque præterea ſine fœdere immunes civitates ac liberæ; Centuripina, Alæſina, Segeſtana, Halicyenſis, Panormitana. præter eas omnis ager Siciliæ civitatum decumanus eſt.* Hæ numero fuêre LXIII; ſi Martiano credimus. Plinio, lib. III, cap. VIII, *Latinæ condicionis* memorantur *Centuripini, Netini, Segeſtani. ſtipendiarii* reliqui mediterranei omnes; & in his etiam *Alæſini.* Poſtremis Romani imperii temporibus ita de eâdem inſulâ ſcripſit imperator Conſtantinus Porphyrogenitus; lib. ii, themate Siciliæ: Ἔχει δὲ πόλεις ἐπισήμους τήν τε Συρακοῦσαν. καὶ τὸ Ταυρομένιον, καὶ τὸν Ἀκράγαντα, καὶ τὰς λοιπὰς πόλεις, τὰς μὲν ἠρημωμένας, τὰς δὲ κρατουμένας παρὰ τῶν Σαρακηνῶν. * . * . Εἰσὶ δὲ αἱ ὑπὸ Σικελίαν, καὶ τὸν ταύτης στρατηγὸν πόλεις κβʹ. Id eſt: *Inſigneis Sicilia urbeis habet, Syracuſas, Tauromenium, & Agrigentum, & cæteras civitates, partim deſolatas, partim à Saracenis occupatas.* Et exiguo poſt: *Sunt autem ſub Siciliâ & eius duce urbes* XXII. Sed hæc parùm diligenter. nam, de aliis uti taceam, certè & *Meſſana*, & *Catana*, & *Panormus* in primis tunc fuêre celebres; & hæc etiam Saracenorum regia: unde principatus ei & regiæ ſedis dignitas ad hæc usque tempora manſit.

CAP. XIIII.

Liparæorum inſulæ; quæ & Aeoliæ, & Vulcaniæ. item nonnullæ aliæ inſulæ, eidem ſeptemtrionali Siciliæ lateri objacentes.

LIPAREORVM *inſulæ; quæ & Aeoliæ & Vulcani.*

SIcilia universâ hactenus deſcriptâ, reſtat, uti de minoribus etiam inſulis, illi objacentibus, & quæ antiquitus ei attributæ fuerunt, quædam dicantur. De his ita Plinius lib. III cap. VIII, in deſcriptione Siciliæ: *Inſulæ ſunt, in Africam verſæ, Gaulos, Melita, à Camarinâ* LXXXIIII *millia paſſuum; à Lilybæo* CXIII *Coſyra; Hieroneſos, Cæne, Galata, Lopaduſa, Aethuſa; quam alii Aeguſam ſcripſerunt; Bucinna: & à Solûnte* LXXV *millia Oſteodes; contraq; Paropinos Vſtica. citra verò Siciliam, ex adverſo Metauri amnis,* XII *millibus fermè paſſuum ab Italiâ,* VII, *Aeoliæ adpellatæ.* Ex his priori loco exponemus eas, quæ inter Italiam & Siciliam Freto ac Peloro promontorio ſunt proximæ.

Septemtrionali igitur Siciliæ lateri INSVLAE objectæ ſunt complures numero; quarum celebratiſſimæ ſunt SEPTEM AEOLI, ſive AEOLIAE; eædem LIPARAEORVM, ſive LIPARENSIVM, à *Liparâ*, omnium maximâ, & Ἡφαιστιάδες, HEPHAESTIADES Græcis, Latinis ab eodem nominis argumento VVLCANI ſive VVLCANIAE dictæ. Sed circa univerſarum numerum ſingularumque vocabula haud levis etiam inter veteres diſcrepantia eſt auctores, cuius rei ea ratio haud dubiè exiſtimanda eſt, quòd eodem tractu plures ſeptenario numero erant. Inter pleroſque tamen eosque graviores auctores, Ariſtotelem, Marcianum Heracleenſem, Diodorum, Strabonem, Melam, Dionyſium, Plinium, Martianum Capellam, Solinum, Stephanum, Apollonii ſcholiaſten, de ſeptenario numero convenit. Grammatici quum innumera etiam alia in geographicis abſurda paſſim prodiderint; Iſidorus quoque, Origin. lib. xiiii, cap. vi, Aeolias fecit numero viiii; ſatis ineptè atque ridiculè: quod mox videbimus. Servius, in commentationibus ad Virgilii Aeneidem, quum lib. viii bis eas pronunciet vii; libro tamen primo, ut Iſidorus, facit VIIII. qui locus quò minùs videri poſſit mendoſus, ipſius Iſidori

efficiunt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN